

## CAPUT II.

DE CREATIONE SPECIATIM, H. E. DE PRAECIPIUS CREATURIS.

### ARTICULUS I.

DE ANGELIS IN ORDINE NATURALI.

Ut ex titulo liquet consideramus nunc in Angelis ea tantum quae ad eorum naturalem ordinem spectant, cetera postea consideraturi cum de ordine supernaturali atque ad eum Angelorum elevatione locuti fuerimus.

#### Thesis XVII.

*Conceptus satis clarus, etsi nondum plane distinctus, Angelorum eo redit ut sint naturae intelligentes homine praestantiores, quibus Deus utitur in administratione rerum humanarum. Has porro naturas exsistere Verbo Dei certissime probatur.*

I. Conceptus clarus est, cum id quod concipitur, a ceteris rebus, et cum agitur de conceptu naturae, a ceteris naturis distingui potest. Distinctus conceptus dicitur cum aliqua rei notae essentialis clare percipiuntur. Plane distinctus est conceptus, quo clare percipiuntur notae praecipuae inter essentialis, ex quibus nempe ceteras dimanare concipimus, quaeque essentialis metaphysicam constituentur dicuntur. Distinctissimus erit cum omnes notae essentialis clare apprehendantur. Liquet conceptum naturae Angelicae in *Thesi* propositum esse clarum satis, nam per eum a ceteris naturis secerantur, tum a Deo cui famulantur, tum a naturis irrationalibus eo quod dicuntur naturae intelligentes, tum a natura rationali, qua praestantiores esse dicuntur. Nondum est tamen conceptus plane distinctus, quia eo conceptu nondum exprimitur utrum sint intellectus secreti ab omni corpore, an aliquod corpus habeant naturaliter sibi unitum; atque proinde neque ea exprimuntur quae cum alterutro ex his sunt necessario conserta. His autem ignoratis conceptus essentialis metaphysicae Angeli informari adhuc non potest.

Quae in conceptu tradito continentur, in duplicem classem dispesci possunt, ea nempe quae spectant ad naturam Angeli, et ea

quae spectant ad eorum officium. Cum enim Angelos dicimus, duo significamus, et naturam aliquam, et ministerium. « Spiritus, ait August. in Psal. CIII, Angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt Angeli: cum vero mittuntur, sunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen huius naturae? Spiritus est. Quaeris officium? Angelus est. »

II. Existentia Angelorum veritas est revelata. Sane id colligi potest ex communi consensu fidelium, qui credunt Angelos esse, credunt, inquam, quemadmodum alias doctrinas ab Ecclesia propositas: et cum id credunt, concipiunt naturas aliquas sibi superiores a quibus sub Deo reguntur. Colligitur ex doctrina Theologorum, qui de Angelis disputant, eorumque existentiam ut revelatam adstruunt. Conferantur interpretes omnes in II Sententiarum D. 2. et in I. p. Summae s. Thomae q. L. Colligitur ex monumentis liturgicis et precibus solemnibus, quibus in Ecclesia coluntur. Colligitur ex testificatione Patrum, quorum testimoniorum amplam segetem in sequentibus proferemus. Colligitur ex Scriptura. Etenim Scriptura exhibet Angelos tanquam spiritus Hebr. I. 24, videntes Deum Math. XVIII, 10; natura proinde intelligentes. Eos exhibet homine praestantiores; id enim indicat argumentatio Pauli ad Hebraeos I, 4. seqq; nam cum Paulus velit excellentiam Christi super omnes creaturas demonstrare, comparat eum cum Angelis, et ex eo quod differentius prae illis nomen haereditaverit, concludit quod demonstrandum erat. Oportebat autem assumere nobiliorem naturam ex creatis ut recta esset conclusio (cf. Didymum De Spiritu S. c. 13). Angelus ergo est talis natura. Scriptura autem repraesentat semper Angelos ut naturas ab humana diversas sive cum eis exhibit invisibiles per se, quique visibiles fieri possunt cum volunt; sive cum eos exhibit non distinctos in mares et feminas Matt. XXII, 30; sive cum eos exhibit immunes a legibus physicis, quibus homo naturaliter est obnoxius, cuiusmodi sunt leges gravitatis, impenetrabilitatis, motus qui moram longam temporis postulat, ut magnum spatium percurrat. Cf. Genes. XXII, 11. Daniel. III, 49, 9. 21; XIV, 32. sq. Matt. XXVIII, 2; Lucae I, 24, 28; II, 13. 15. etc. Ergo Angeli sunt homine praestantiores. Id quoque evincitur iis appellationibus quae in Scripturis Angelis fiunt, non autem hominibus aut animabus iustis, quales sunt appellationes virtutum, potestatum, dominationum, quae peculiarem excellentiam super ceteras creaturas designant. Eas autem ad Angelos pertinere inferius probabitur. Item Scriptura exhibet Angelos ut Dei administratos in regimine rerum humanarum, ut liquet ad Heb. I, 24. Daniel. X, 13; Apocaly. VII. sqq. Matth. XVIII, 10; XIII, 41: et universa fere Scriptura. Ex quo tandem patet An-

gelos esse naturas distinctas a Deo, eaque inferiores. Etsi enim identidem in Scripturis Filius Dei *Angelus* nominetur, attamen certum est frequenter ibi mentionem fieri de pluribus Angelis Dei administris, inferioribus Deo, ut ex. gr. loco citato Hebr. I. Iudic. XIV. 15. seqq. Job. XII. 14. 15; Dan. VII. 10. Math. XVIII. 10. etc. constat.

Angelorum existentiam sancit Concilium Lateranense IV « firmiter credimus.... quod unus solus est verus Deus.... creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

Itaque persuasio existentiae Angelorum est persuasio orta ex divina revelatione, quae hoc factum multipliciter manifestavit, quae persuasio antiquior est omnibus opinionibus philosophicis, quae communis fuit populo hebraeo vigente synagoga. Cf. I. Reg. XIX, 9; II. Reg. XIV, 17, 20; XIX, 27.

III. Primitivae traditionis huius veritatis vestigium exstat penes gentes, quae *δαίμονες*, genios, deos inferiores admiserunt; *Τρις γὰρ μύριοι* (ait Hesiodus, opera et dies. v. 252) *εἰσιν ἐπι θῆων πολυβοταίρη - Ἄθανατοι Ζήνος* (Clemens Alex. in Cohort. ad Gentes legit *Δαίμονες ἄθανατοι*) *φυλάκες θνητῶν ἀνθρώπων - Οἱ ἔα φυλάσσουσιν τε δίκας καὶ σχετλια ἔργα.* - *Ἡερά ἔσσημενοι, πάντα φοιτῶντες ἐπ' αἰῶν.* Neque enim ex hac gentium opinione persuasio orta est existentiae Angelorum; sed ea opinio corruptio quaedam fuit primitivae traditionis, quae servata est in populo hebraeo, cuius publica et religiosa doctrina antiquior est et certe independens ab opinionibus gentium. Quocirca dicendum est opinionem gentium de existentia quorundam geniorum et daemonum, qui medii veluti sint Deum inter et homines, originem suam mutuari a primitiva traditione de existentia Angelorum; consensus enim inter omnes populos adeo communis et constans in re per se non evidenti (contingens est enim existentia Angelorum) nulla alia probabilior ratio videtur posse afferri. Vitata vero fuit inter gentes doctrina haec primum tradita, et multo magis a philosophis, ut videre est penes Aristotelem, cuius intelligentiae tantum distant ab Angelis quantum error a veritate. Sunt enim intelligentiae a se, aeternae, eiusdem naturae cum primo motore, h. e. Deo, ut liquere potest legenti eiusdem Caput 8. L. XII. Metaph. Cf. et Philonem lib. de Gigantibus, in initio, et lib. de somniis.

IV. Quaeritur an ratione evinci possit existentia Angelorum. Verum huius quaestionis solutio pendet ex distincto conceptu eo-

rundem, quem dabimus in seq. Thesi: quaestio enim reapse huc redit an demonstrari ratione sola possit existentia spiritus puri creati: tales autem esse Angelos ostendimus in seq. Thesi; idcirco nunc est huc quaestioni supersedendum.

### Thesis XVIII.

*Angelos esse spiritus puros h. e. spiritus, qui sint per se ipsos naturae completae, veritas est quae ex Scriptura et universa Traditione rite inspecta potest cum certitudine colligi.*

I. Primitiva significatio vocis *spiritus* absolute sumpti eo spectat ut designet aliquid tenne et facile mobile, minusque visibile, aut sensibile, cuiusmodi est aer, aether, ventus; id nimirum quod materiam crassam hanc et penitus inertem excedit. Tum deinde deductum est ad significandum id quod materiale licet, subtilius est tamen in viventibus, et principium quoddam motus existit in eorum corporibus; illud proinde quod perfectius adhuc a crassitie et gravidine materiae recedit. Tandem translatum est ad significandum id quod omnino materiam excedit, entia nempe cognoscitiva, et potissimum intelligentia; ita ut in hac significatione vox *spiritus* designet quidem ens intelligens, sed simul significet eius excessum supra materiam, quae significatio, ut ex dictis liquet, in voce *spiritus* semper plus minus reperitur.

Hac ultima significatione, quae ob continuum usum vim pene metaphorae amisit, *spiritus* concipitur ens simplex, materiam et corpus prorsus excedens, vivens vita intellectiva. *Spiritus purus* est *spiritus* nulli corpori naturaliter unitus, sive *spiritus* qui per se est natura completa, non pars alicuius naturae. Hic est scilicet communis conceptus *spiritus, qui sit corpori naturaliter unitus*, ut sit nempe pars naturae, quam constituit cum corpore, ideoque per se non sit natura completa. Verum fieri potest quaestio an unio naturalis *spiritus* cum corpore possit alio modo haberi: nimirum ut corpus uniatu ei tanquam instrumentum tantummodo pro operationibus ad extra, propter communicationem cum natura sensibili, uniatu autem naturaliter, quatenus exigatur corpus a natura ipsa operationis. Hanc quaestionem expeditur in Instit. Philos. Tom. III. Pneumat. c. 1. Modo satis sit advertere, quod si tantummodo haec altera unio naturalis cum corpore exigatur, fieri adhuc potest ut concipiatur *spiritus purus*, sive ut *spiritus* sit per se natura completa: nam in hac hypothesi (sive vera sit sive falsa) *spiritus* non se habet ut forma ad corpus, neque proinde ut pars naturae, sed

solum ut causa efficiens, utens instrumento quod movet. Huiusmodi animadversio opportuna erit forte cum quosdam opiniones Patrum investigabimus. Probandum est auctoritate Scripturarum et Traditionis Angelos esse spiritus puros. h. e. spiritus, qui sint naturae completae, non pars alicuius naturae. Possibilitatem quidem eorum demonstravimus in Philos. I. c.; nunc questionem an sint agimus.

II. Ex Scripturis autem ita demonstratio institui potest: 1) negative. Nihil occurrit in Scripturis quod exigit nos opinari Angelos habere corpora naturaliter sibi unita. Etenim a) nunquam in Scripturis mentio fit corporum quae sint propria Angelorum, quemadmodum mentio fit corporis humani (Ipsas autem apparitiones Angelorum, aliaque phaenomena, quorum frequentissima in Scripturis occurrit mentio, non postulare corpus naturaliter sibi unitum veluti partem naturae, demonstrabimus paulo post expedientes argumenta, quae ex ipsis Scripturis opponi solent). b) Nunquam, quod et Augustinus animadvertit *Retract. I. l. c. 41.*, memorantur in Scripturis animae Angelorum; spiritus autem corpori naturaliter unitus est anima, nam vivificat illud, et cum eo opera vitae exercet: haec enim est ratio cur spiritus corpori societur. c) Licet et anima rationalis spiritus vocetur, appellatur tamen simul *spiritus hominis, spiritus noster, spiritus qui in homine est.* Rom. VIII, 16: I. Cor. II, 11., quibus locutionibus indicatur spiritum hunc partem esse naturae; at Angeli appellantur simpliciter spiritus, nulla habitudine significata ad aliud, cuius sint et in quo sint tanquam pars naturae. Argumentum est ergo negans ex Scriptura, quod Angeli non constant corpore naturaliter sibi unito. Cuius argumenti negantis haec est vis: notionem naturae Angelicae accipere debemus ab eo qui eos condidit, cuique integrum erat spiritus alios praeter humanos creare solutos omni corpore, vel cum corpore; revelatio autem divina Scripturis consignata nunquam eos exhibet coniunctos naturaliter corpori: ergo nulla est ratio cur eosdem concipiamus corporatos, nisi ab alio fonte revelationis suppleatur id quod Scripturae tacent, quod tamen non suppleri certum fiet ex sequentibus.

At 2) praeter argumentum negans, argumentum quoque affirmans suppeditant Scripturae. Nam appellatio *spiritus* simpliciter facta personis, cuiusmodi sunt Angeli (Hebr. I, 14. Apocalyp. I, 4. Luc. X, 20. alibi), ostendit eos esse spiritus puros. Etenim haec appellatio eorum essentiam indicat: essentia autem constans ex spiritu et corpore neque appellatur simpliciter spiritus, neque appellari potest. Nam tunc spiritus est pars tantummodo essentiae; quae pars non est essentia ipsa. Sed alio nomine ea essentia composita nominatur, quod integrum essentiam significet. Ita homo non dicitur

spiritus, licet spiritu constet. Cum ergo Angeli semper vocentur simpliciter Spiritus, nunquam eorum corporum ac animarum mentione facta, iudicium est manifestum eorum naturam spiritualitate absolvi, sive ipsos esse spiritus puros. Difficultatem vero ex eo petitam quod appellatio *spiritus* facta personis non indicet penes veteres id quod nunc communiter intelligitur, expediemus postea, cum eadem occurreret adversus argumentum ex traditione Patrum.

III. Antiqua ergo traditio consignata Scripturis et ab Apostolis promulgata haec est: Angelos esse spiritus secretos ab omni commercio corporis naturaliter sibi uniti. Non paucis vero aut levibus argumentis impelitur haec demonstratio ex Scriptura. Aiunt enim frequentissime in Scripturis repraesentari eas actiones et passiones Angelorum, quae cum similes sint humanis postulant in Angelis naturam corpoream. En actiones et passiones Angelorum circa corporalia, de quibus sermo est in Scripturis. 1) *Apparent sub forma sensibili*, id frequentissime occurrit; describitur eorum *figura singularis* Dan. X, 5. seq. notatur *vultus angelicus* Iudic. XIII, 6: *inter se loquuntur voce sensibili* Zachar. I, 11; III, 4: *tuba canunt*, Matth. XXIV, 31: *epulantur*, Genes. XVIII, 9; XIX, 3. Praeterea 2) *sono citharae comescuntur* 1. Reg. XVI, 23: *felis fumo fugantur* Tob. VI, 8; *odorantur odorem, et ab eo fugantur* Tob. VIII, 3. (sec. text. graecum). Tum 3) *apprehenduntur ab aliis* Angelis, Tob. VIII, 3. (sec. vulgatum); *religantur ibid. luctantur cum hominibus* Genes. XXXII, 24; *igne torquentur* Matth. XXV, 41; 2. Petri II, 4: Iudae 6. Tandem ii filii Dei, qui congressi sunt cum filiabus hominum filiosque genuerunt Gen. VI, 2. iuxta non paucos veteres sunt Angeli. An haec omnia facere potest aut pati natura, quae corporea non sit?

Verum ex his tribus classibus prima certe nihil exhibet quod postulet naturam ex spiritu et corpore constantem, cum spiritus purus possit assumpta forma sensibili eos effectus edere. Sane meminisse oportet plures ex his apparitionibus tribui a non paucis Patribus immediate ipsi Deo (cf. Petavium De Trinit. L. VIII, c. 2): an exinde inferre licet Dei naturam esse corporatam? Apparitiones ergo Angelorum nihil probant; quoniam quod apparet potest esse vel corporatus vel spiritus purus, imo purissimus. Apparere certe potest Angelus corporea aliqua forma ex sensibili quodam elemento sibi assumpta; quam hypothesis reperire est penes Isidorum Hispanensem Sentent. L. I, c. 10. « Angeli corpora, in quibus hominibus apparent, de superno aere sumunt, solidamque speciem ex caelesti elemento inducunt, per quam humanis obtutibus manifestus demonstrentur. » Aliam deinceps proponemus hypothesis ad idem expli-

candum. Quomodo vero sensibilis signa efficere Angeli possunt, ut hominibus aliquid manifestent, ita et voces producere possunt quibus hominibus significant eas res, quas per eas voces homines cogitare solent et ideoque ut hominibus manifestent quid ipsi cogitent, et inter se loquantur, possunt apparentes Angeli uti signis sensibilibus vocum. Ad epulas quod spectat, Scriptura ipsa docet manducationem formalem non fuisse; ita Raphael Tob. XII, 49. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Et Iudic. XIII, 43. 16. cum dixisset Manue ad Angelum Domini: obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi haedum de capris, atque Angelus respondisset non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino: subdit ad haec scriptor inspiratus, ut rationem redderet cur Manue obtulerit illi, qui apparuit, aliquid ad edendum: *et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset.*

Phaenomena quaedam alterius classis, quorum similia recitantur a Patribus, quaeque ex iis afferemus suo loco, ita interpretatur Augustinus De Civ. Dei L. XXI, c. 6. « Illicitantur daemones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quae cuiusque delectationi congrunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem alliciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitias appendendo, eorumque paucos discipulos suos faciunt, plurimorumque doctores ».

Quae doctrina ut uberius explicetur, advertere licet 1) quod cum Angeli sint certe intelligentes, ideoque liberi; fieri non potest ut fumi aut odoris aut cantus vis physica ita agat in Angelos, ut tali vi resistere ipsi non valeant, si velint: id in nobis ipsis nos experimur. Quare 2) huiusmodi vis cum certo effectu coniuncta supponit aut antecedentem quendam consensum Angelorum, aut concursum specialis efficaciae divinae voluntatis, quae effectum illum velit in poenam malorum Angelorum, aut ob alium finem. 3) Hinc fumus ille, odor et cantus instrumenta fuerunt divinae voluntatis: neque opus fuit ut essent instrumenta physica; sed satis fuit ea esse instrumenta moralia, quibus nempe voluntas daemoneum flecebatur, sentiens in illis veluti signis, quibus, ut ait Augustinus, moventur spiritus, divinum imperium. Exinde est 4) quod necesse non est ut iis mediis adhibitis iidem effectus semper consequantur, quemadmodum reapse non semper consequuntur; id enim pendent a divina voluntate, quae proinde precibus exorari solet. Praeterea 5) ad-

vertendum est quod Angelus Raphael non de cuiusvis piscis, sed de illius piscis particularis corde et iecore loquebatur, propter eum effectum scilicet, quem Deus per ea operatus erat contra Daemoneum. Quod si 6) quaeratur ratio cur iis instrumentis utatur Deus contra Daemones, ea est optima ratio, quam offert Card. Gotti l. p. Tract. VIII, q. 2. dub. 1; nempe ut ignominia afficiantur iidem, sentiantque se contemptibiles esse et contemni; et sicut subiciuntur igni in poenam, ita et aliis sensibilibus vilissimisque rebus subiciantur.

Et haec dicta sint quoad actionem directam rerum sensibilibus in Daemones. Si vero sermo sit de actione indirecta in ipsos, directa autem in aliud, puta in homines, quos e. g. suavitas cantus eximit a tristitia, dissipatque melancholicum humorem; manifestum est quod haec efficacia naturalis prorsus esse potest: eoque spectat, ut subtrahat daemoneibus naturalia media, quibus utuntur ad affligendos homines. Quocirca huiusmodi actio efficax ex aequo erit sine Daemone sit spiritus purus, sive sit corporatus. Itaque et haec phaenomena non cogunt dubitare de ea doctrina, quam Scriptura alibi manifeste docet, Angelos esse spiritus puros.

Quoad phaenomena tertiae classis manifestum est potissimum esse illud quod igne Daemones torquantur, negari enim nequit eos vere igne torqueri (lege Lessium de Div. Perfect. L. XIII, c. 30.). Verum 1) advertendum est eodem modo animas separatas a corporibus torqueri in inferno ab igne, quin tamen ex illo colligere liceat animas ex se solas esse corporeas, vel corporatas. Nimirum haec est sententia Patrum: concedendum esse divinae virtuti ut miris quidem sed veris modis, quemadmodum loquitur Augustinus De Civ. Dei L. XXI, c. 10. crucientur igne spiritus incorporei: unde fas non est ex eo quod hic modus ignoretur, concludere Angelos esse corporatos, ac si certum esset non nisi naturas corporales, etiam intercedente divina virtute, a re materiali pati posse. Ceterum videtur nobis hypothesis aliqua non deesse qua id explicetur, quam proponemus postquam explicaverimus primum ex communi sententia alia phaenomena huius classis.

Itaque 1) *apprehensio* Daemoneum per Angelum Raphaellem potuit esse moralis non physica, quatenus nempe iubente Deo, et divinum mandatum manifestante Raphaelle Daemone, coactus hic fuerit eius subiecti potestati, ut ab ipso quo vellet duceretur. *Religatio* item Daemoneum metaphorice accipi potest, quatenus scilicet coactus sit certo in loco manere; eiusque vires impeditae fuerint ne nocerent.

2) Lucta Angeli cum Iacobo potest ita accipi ut mediante corpore assumpto, quo resisteret corpori hominis, luctam exerceret Angelus.

Verum 3) videtur nobis  $\alpha$ ) citra ullum corpus assumptam potuisse spiritum cum homine luctari. Potest enim spiritus, si velit (Id supponimus ex iis quae in philosophia tradidimus de entium simplicium natura et potestate) resistentiam eamque extensam sua ipsa realitate per spatium aliquod indivisibiliter diffusa obicere corporibus, atque ita eos effectus praestare, quos per se praestat corpus. Hoc posito potest  $\beta$ ) et physice Angelus alium Angelum apprehendere. Sicut enim potest spiritus apprehendere physice corpus, ita poterit et apprehendere physice spiritum, si hic spiritus obiciat ei realitatem suam resistentem in spatio extenso. Poterit quidem nolle spiritus hunc modum existendi in spatio assumere, et tunc non habebit locum apprehensio physica; sed poterit certe spiritus cogi a Deo ad hunc modum assumendum, propter hunc vel illum finem, puta in poenam; et in hac hypothese poterit Angelus alium Angelum physice apprehendere, quemadmodum corpus.

His praemissis, ut quaestionem superius propositam de ignis ustione expediamus, advertimus primum eandem sibi proposuisse Gregorium in Lib. IV dialogorum, cuius disputationem non erit abs re heic recitare. Ait c. 28: «Sicut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat». Interrogante autem Petro: «qua ratione credendum est quia rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?» respondet cap. seq. Gregorius: «si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur?» Petrus tamen discrimen ostendit subiiciens quod «in vivente quolibet ideo incorporeus spiritus tenetur in corpore quia vivificat corpus». Subdit vero Gregorius: «Si incorporeus spiritus in hoc teneri potest quod vivificat, quare non poenaliiter et ibi teneatur quo mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia concremari se aspicit, concrematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur». Hac tamen non contentus solutione prosequitur: «quamvis colligere ex dictis evangelicis possumus quia incendium anima non solum videndo sed etiam experiendo patitur», hucque refert id quod de divite sepulto in inferno Veritas dicit. Instante porro Petro quod quamvis id auctoritate constet, tamen adhuc ignoretur «quomodo res incorporea a corporea teneri atque affligi possit, sciscitatur ab eo Gregorius an putet «apostatas spiritus a caelestis gloria delectos esse corporeos an incorporeos et an fateatur gehennae ignem esse cor-

poreum? cumque ille responderet, daemones esse incorporeos, ignemque corporeum, infert Gregorius: «certe reprobis Veritas in fine dictura est, ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et Angelis eius. Si igitur diabolus eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animae et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?» In qua disputatione, si quod primo loco proposuit Gregorius attendas, quod tamen nec ipsi fecisse satis videtur, habes eius responsum quoque ad quaestionem de modo quo spiritus patiuntur ab igne.

Quia tamen istud non videtur satis, ut vera physica passio spiritus ab igne explicetur, affirmare primum licet cum theologis generatim quod Deus adhibens ignem ut instrumentum suae virtutis, qua potest in rebus efficere quod est supra naturalem earum ordinem, elevare valet vim ignis ad afficiendum etiam physice spiritum. Quod certe fieri potest, si nulla sit ex essentis rerum repugnantia. Nullam autem repugnantiam esse censemus quod hoc pacto liceat demonstrare. Ex dictis paulo ante liquet corpus aliquod posse physice agere in spiritum, si divina vi obligetur spiritus obicere corpori resistentiam extensam in spatio. Iam vero cum res huc est adducta, apparet possibilitas quod spiritus ab igne torqueatur seu dolorem aliquem experiat similem illi, quem animus noster propter corpus, cui unitur, frequenter experitur. Subiectum enim nostri sensus doloris, qui est sensus cuiusdam modificationis nocivae proprii subiecti, est ipsa anima propterea dolor est actus vitalis. Spiritus igitur, qualis est anima, potest per se dolorem experiri. Obiectum huius sensus est, ut diximus, modus quidam se habendi subiecti qui non est ei conveniens; cuius modi subiectum non est tantum corpus, sed totus homo, ideoque et anima, licet haec propter corpus. Nimirum ex coniunctione cum corpore ita afficitur anima, ut modificationes aliquas recipere possit, quae ei non sint convenientes et gratae, quas sensus doloris comitatur naturaliter. Itaque si spiritus aliquis immediate a corpore aliquo in ipsum agente afficiatur, poterit in se experiri modificationes ipsi inconvenientes et ingratas, sensumque habere doloris, non quidem eiusdem rationis specifica ac est dolor ex scissione partium, sed genericae, prout est modificatio subiecti non convenientis.

Haec hypothesis complementum esse potest illius explicationis, quam Lessius De Div. Perfect. L. XIII, n. 248. seq. affert ad conciliandam fidem dogmati quo credimus animas separatas et Daemones torqueri igne. Ea huc summam redit: vis sentiendi formaliter est in anima, eaque et in spiritu puro esse potest, qua sentiat obiecta praesentia. Sensus ergo doloris et ipse est formaliter in anima, cum

sit et ipse actus vitalis sensationis. Naturaliter quidem anima dolorem sentit cum coniuncta est corpori, quod ab alio patitur: sed & si ignis naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis ut instrumentum Dei non poterit affligere eundem spiritum sine ullo corpore medio?... Si autem ignis naturaliter vim habet affligendi spiritum infimum, nempe animam humanam: ergo divina virtute ita poterit elevari, ut etiam superiores spiritus nempe Daemones affligere possit ». Quod si reponas id fieri non posse sine aliquo contactu physico, h. e. quin ignis agat in spiritum, ut verè et non metaphorice dicatur spiritus torqueri ab igne, ad id explicandam dicimus videri nobis conducere hypothèsim illam, quam proposuimus. Cf. quae dedimus in Inst. Philos. Pneumat. Th. III.

Haec nihil exhibet Scriptura quod merae spiritualitati Angelorum adversetur, cum ea quae de iis narrantur, puris spiritibus, et si sumuntur simul omnia quae de iis dicuntur, solis puris spiritibus competere possint.

Quapropter Filii Dei (בְּנֵי הַאֱלֹהִים LXX ὕιοι τοῦ Θεοῦ, Aquila ὕιοι των θεων, Symmacus οἱ ὕιοι των δυναστευοντων: quidam Patres graeci legisse videntur οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ) de quibus sermo est Gen. VI. 2. nequeunt esse ullo modo Angeli; falsumque prorsus est hanc interpretationem postulari a contextu. Nam hi Angeli vel boni sunt, vel mali: boni nequeunt esse, nam hoc connubium ut peccatum a cunctis, qui illud excogitarunt, habetur; ac praeterea Angelos beatitudine Dei fruentes feminarum amore captos ridiculum est suspicari, etsi corporatos illos velis; quia neque homines post resurrectionem, teste Christo, iis rebus vacabunt similes futuri. Angelis Dei in caelo. Fuerunt ergo angeli mali; at mali Angeli possentiae hae appellatione honestari ut dicantur *Filii Dei*; cum haec appellatio creaturis intelligentibus facta in Scripturis, sanctos et Deo gratos significet? Quocirca dicendum est ibi significari homines ex Seth Deum pie colentes, ac sub communi appellatione hominum versiculo 4. eisdem comprehendi, dividi autem homines deinceps vers. 2. veluti in duas classes tum Deum pie colentium, tum improborum, atque illos speciali nomine insigniri, hos nomine communi hominum; quod quidem nomen oppositum priori satis significabat homines Dei gratia destitutos sive malos. Ipsa vero commemoratio coniugii interpretationem hanc extra dubitationem collocabat. Opponuntur proinde filii Dei et homines ethice, non specificè. Neque ex eo quod haec connubia exhibentur ut origo rei singularis, qualis fuit stirps gigantum, sequitur ea connubia fuisse ex commixtione Angelorum et filiarum hominum; nam 4) textus sacer proprie fa-

ctum tantummodo narrat, post ea connubia nempe ortos esse gigantes, ut in serie factorum quae narrat, initium eorum genealogiae indicaret. 2) Etsi qui videatur auctor inspiratus ex speciali prole subsecuta voluisse specialia connubia indicare; hanc qualitatem cogitare possumus quin ad Angelos recurramus, nimirum certas conditiones tum physicas tum physiologicas tum morales una coaluisse ut proles educta potuerit adeo extra communem modum explicari. Lege August. Civ. Dei. I. XV. c. 23. lege et Thomam 1. p. q. li. a. 3. ad 5.

Tandem frustra sunt qui corporatos esse Angelos volunt, quia promittit Christus homines in regeneratione resumpto corpore futuros esse sicut sunt Angeli Dei in caelo: Matth. XXII, 30. Marc. XII, 25. Luc. XX, 36. Nam 1) ut ex Luca liquet, qui omnia Christi verba retulit, similitudinem inter homines et Angelos in eo esse a Christo indicatur, quod immortales erunt, quae immortalitas est ratio cur homines neque nubent amplius neque nubentur. 2) Ratione vero corporis glorificati, homines erunt sicut Angeli, non aequales, sed similes, h. e. iis dotibus insignes quibus ad spiritus proprietatum participationem quamdam caro elevabitur.

IV. Ad Patres quod spectat, ut rem integre ob oculos ponamus, haec licet animadvertere. 1° Exstat certe series testimoniorum Patrum, qui docent Angelos esse spiritus puros. Attamen 2. simul cum hac serie existit alia parallela, quae aliud prorsus sentire videtur, affirmans scilicet Angelos esse vel corpora, vel speciatim esse ignem aut aethereum aut quid simile. 3. Imo sunt qui censent Angelos constare duplici elemento, spiritu et corpore, hancque tradant esse sententiam doctorum. 4. Quod magis est, haec sententia inniditur auctoritati antiquorum. Quo enim magis ad originem Apostolicam accedimus, eo frequentiores reperimus Scriptores qui corpus Angelis tribuunt, et quidem corpus simile nostro, ita ut qui cum feminis Gen. VI. 2. narrantur convenisse, Angeli fuisse putentur. Tandem 5. non desunt inter ipsos veteres qui moneant spiritus nomine intelligi quidem aliquid diversum ab hac materia crassa visibili et invisibili, sed tamen aliquid materiale, subtile vero et tenue, cuiusmodi est aer vel aether. Singula pertractemus. Porro quod primo loco affirmavimus, breviter demonstrat.

Sane a) divisio certa Patribus omnium rerum creaturarum in invisibiles et visibiles (Symbolum niceanum) eadem habita est ac illa, qua res dirhibentur in incorporeales et corporales (Dydimus Alex. De Spiritu S. n. 4. Nazianzenus Orat. XXXVIII. n. 11. Leo M. epist. ad Turibium. c. 6. Isidorus Hispalensis De Ordine creaturarum c. 2.): Angeli autem invisibilibus et incorporealibus accensentur. Ita vero accensentur ut b) eorum natura dicatur simpliciter esse spiritus

(Gregorius M. in II. Moralium c. 5. et in Dialog. L. IV. c. 29. Isidorus Hispal. Sentent. L. I. c. 10) ita ut non solum sint incorporei *ἀσώματοι*, sed penitus incorporei sine ulla mixtione, materiae omnium expertes *ἀσώτοι*, solum spiritus (Theodoretus q. 20. in Genesim. Eusebius Demonst. evangel. L. IV. c. 4. Nysseus contra Eunomium L. XII. Marius Victorinus L. IV. adv. Arium. Maximus in 7. Caput Hierarchiae Caelestis. Gregorius M. in IV. Moral. c. 9. Chrysostomus in Ioannem hom. XV. n. 2), nihilque habeant quod sit corporis proprium, neque figuram neque mensuram neque colorem neque vocem neque aliud quidquam (Nerses Armeniorum Catholicus sec. XI. epist. ad Prov. Hamasch.): idque c) demonstratur tum positive quod non sit corpus; quia materia nequit cogitare, tum negative quod nulla sit necessitas copulandi iis corpora propter eorum apparitiones; quia et Deus apparuit (Ioannes Philoponus De Mundi Opificio L. I. c. 9.); unde tandem d) dicuntur esse intelligentiae *νοεσ*, naturae sola mente apprehensibiles (Dionysius Cael. Hier. c. 4. Nazianzenus orat. cit.), ut idcirco simul cum Deo sub genere rerum incorporarearum soleant connumerari (lege Sozomenum H. E. L. III. c. 48.). Cf. Petavium De Angelis L. I. c. 3. Haec autem sententia his aliisque Patribus probata et Scripturis confirmata evasit post sec. XII communis in Ecclesia ita ut, auctore Petavio I. c., certissimum esse debeat, ac nullo modo sit dubitandum Angelos naturale corpus habere nullum; quam sententiam, ait, non solum Theologi hodie sequuntur omnes, sed contrariam etiam, quae vel mera esse corpora, vel illigatos corpori spiritus Angelos putat aut Daemones, ut non prorsus haereticam, sic haeresi proximam esse iudicant.

Ut autem id constet oportet gradum facere ad ea explicanda et solvenda quae ab initio ex PP. proposuimus. Haec vero prae oculis habenda censemus. Scilicet 1. certum esse debet quod Patres iique generatim omnes haberint conceptum clarum eius rei, quam nos dicimus spiritum, entis videlicet intelligentis, a materia independentis ac omnino secreti: patet id non solum ex testimoniis citatis, sed praesertim ex eo quod conceptu claro et distincto Dei, quod eius fieri potest, Patres ex Scripturis et Traditione edocti certe potiebantur, qui conceptum spiritus profecto continet.

2. Tenendum est normam quamdam communem pro usu certorum teminorum quoad plures res nondum definitas ante aetatem scholasticam non exstillsse.

3. Cum in quaestione dogmatis agitur de solo facto apostolicae traditionis eiusque notitia ab historico testimonio Patrum quaeritur, non immerito postulatur ut antiquiorum Patrum auctoritas praeferratur. At cum agitur de pleniori conceptu dogmatis revelati, qui con-

ceptus fructus est reflexionis et analysis, immerito lex haec statueretur, ut sensus antiquiorum praevalere debeat sensui posteriorum; possibilis enim quod hoc est ac reapse habet locum progressus in intellectu catholico.

His positus facile est expedire quod ex iis Patribus obicitur, qui Angelos corpora esse dicunt, vel ignem aut aetherem; qui quidem Patres secernendi sunt ab iis qui Angelos faciunt corporatos h. e. duplici elemento constantes spiritu et corpore. Illi enim priores non negant reapse Angelos esse spiritus puros.

V. Sane ex historia dogmatum constat quod penes quosdam Patres divisio omnium entium in duas classes, quarum altera Deum, altera creaturas contineat, ita exhibetur ut quidquid est vel incorporeum sit vel corporeum; atque incorporeus quidem sit tantum Deus, cetera corporea. Corpus proinde vel corporeum iuxta hos Patres dicitur quidquid circumscriptum est et finitum initio durationis, loco, essentia, quidquid mensuram habet, uno verbo quidquid est finitum. Eius vero quod corpus dicitur duplex concipitur genus. Alterum, quod crassum et terrenum est, ac visibile, quale est nostrum corpus, quod gerimus. Alterum quod subtile, ac diffusionis capax est, et invisibile. Hoc autem rursus dupliciter distinguitur: nempe et in ea quae cognitione et intelligentia praedita sunt, et in ea quae hac facultate carent; quae duo proinde membra non nisi analogice convenire possunt. Ita e. g. facit Cassianus Collat. VII. c. 43. sub genere spiritus enumerans simul Angelos, animam nostram et aërem istum subtilem. Sane haec altera divisio ex eo quoque constat quod ii Patres cum Genadio docent (De Ecclesiasticis Dogmatibus. c. 42): «Creatura omnis corporea est. Angeli et omnes caelestes virtutes corporeae, licet non carne subsistant. Ex eo autem credimus corporeas intellectuales naturas, quod localiter circumscriptantur, sicut et anima humana, quae carne clauditur.

Et re quidem vera huiusmodi sunt testimonia horum Patrum. Ioannes Thessalonicensis, cuius dialogus lectus est in 7. Synodo, ait. «Solutus re vera Deus incorporeus et incircumscriptus est. Intelligentibus vero (quae mente percipiuntur) creaturae non penitus incorporeae sunt et invisibiles sicut Deus. Ideo in loco sunt et circumscriptantur... Ac cum loco circumscriptae sint, satis ostenditur non eas omnino esse incorporeas perinde ut est Deus.» Macarius aegyptius hom. IV. n. 9. (Gallandi Biblioth. Tom. VII.) «Unumquodque pro sua natura corpus est, Angelus, anima, daemon; quoniam etsi subtilia sint, nihilominus in subsistentia et figura et imagine secundum tenuitatem suae naturae corpora sunt subtilia, quemadmodum in substantia corpus istud crassum est.» Hilarius in Math. cap. 5. «Nihil

est quod non in substantia sua et creatione corporeum sit... Nam et animarum species sive obtinentium corpora, sive corporibus exultantium, corpoream tamen naturae suae substantiam sortiuntur; quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est. » Ambrosius De Abraham L. II. c. 8. « Nos autem nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus praeter illam solam venerandae Trinitatis substantiam, quae vere pura et simplex sinceræ impermixtaeque naturae est. » Auctor operis Conflictus catholici cum Serapione L. II. « Omnia quaecumque invisibilia et incorporea sunt, Deo soli, secundum quod ab eo creata sunt, visibilia et corporea sunt... Quidquid mensuram habet corpus est, non humanis sed divinis oculis patens; immensus autem et incorporeus solus Deus est. Omnes enim Angeli a Deo facti initium habent. Serapion. Ergo anima hominis corporea est? Arnobius dixit: quidquid tangit et tangitur, et in loco aliquo continetur, corpus esse non dubium est. Cum ergo et intrare animam corpus, et habitare in corpore, et exire a corpore doceatur; quomodo non corporea esse dignoscitur? » Faustus Reiensis. (f) Opuscul. de Creaturis, docet solum Deum esse incorporeum, animam et Angelos corpus habere (quod perinde videtur ac esse propter rationem sequentem) multo incomparabiliter tenuius quam nostra corpora, quia nimirum « initio circumscribantur et spatio. » Provocat quoque ad 2. Cor. XV. 40, corpora caelestia et corpora terrestria, « ex quibus, ait, manifesto colligitur nihil esse incorporeum nisi solum Deum. » S. Caesarius Nazianzeni frater (vel alius auctor) Dialog. I. Interr. 48. « Incorporei quidem Angeli sunt secundum nos, corpus vero secundum sese, quemadmodum ventus aut ignis aut fumus, aut aer, sunt enim subtilia et immortalia corpora (σώματα λεπτά καὶ ἀθάλα), ab nostra crassitudine secreta. Quippe corpora caelestia et corpora terrestria dicit Apostolus. »

Haec si prae oculis habeantur, non est cur moveamur iis testimoniis Patrum, qui primo loco obiciuntur, docentium Angelos corpora esse vel corporeos. Quid enim tandem aliquando docent? negant ne Angelos esse intelligentes? nequaquam, imo id diserte affirmant; sunt ergo id quod nos dicimus spiritus. Quid igitur volunt cum eos corpus vel corporeos vocant? Id unum, eos esse limitatos spatio, virtute, durationis initio, esse finitos, non esse Deum; quae nemo negat. Nam ex eo quod sunt in loco, quod eorum natura circumscripta est ac limitata, vel colligunt Patres Angelos esse corpora aut corporeos quatenus vera essentia corporea est formalis ratio earum proprietatum quae ad eam consequuntur, vel quatenus appellatione corporis aut corporei has solas proprietates immediate

significant. Atqui non illud primum, sed hoc alterum dicendum est. Etenim hi Patres non dicunt Angelos esse compositos ex duplici elemento spiritu et corpore, ita ut corporei sint quia constant quoque corpore, sed dicunt simpliciter Angelos esse corporeos vel corpora, rationemque eam reddunt quae et pro animabus valet. Unde spectata ratione, quam afferunt, excluditur ea interpretatio secundum quam Angeli ab iis dicantur corporei ac si constarent spiritu et corpore; nam in hac hypothesi spiritus seorsim sumpti essentia esset incorporea, quod tamen Patres hi soli Deo concedunt, negantque spiritui humano. Corpora ergo vel corporeos spiritus Angelicos Patres isti dicunt quatenus simpliciter eos concipiunt esse limitatae naturae, ac loco definitos. Praeterea cum hi Patres dicant Angelos corpora esse, nisi velimus dicere ipsos materiae vim cogitandi attribuisse, oportet hanc appellationem ab iis usurpatam minus proprie accipere. Illud scilicet idem docent quod Theodoretus qq. in Genes. Inter. 3. « Licet incorpoream fateamur, circumscriptam tamen eorum substantiam dicimus. Quomodo enim millia millium et decies centena millia, iuxta Danielelem, intelligere quis posset, nisi unumquemque in propria circumscriptione concipiat... Quod si ita est, sicut profecto est, loco utique opus habebunt: Nam sola divinitas, veluti minime circumscripta, non est in loco. » In eo tantum differunt, quod circumscriptionem, locum corporis vel corporei appellatione dignum esse putarunt. Ergo ii Patres aliis verbis illud idem docent quod nos, atque proinde superioribus Patribus sunt accensendi, quos pro pura spiritualitate Angelorum citavimus.

Iam vero perpendenti doctrinam horum Patrum liquet appellationem *corporis* et *corporei* factam esse sublimioribus creaturis relative, h. e. iis comparatis cum Deo: hinc quae ab iis dicuntur simpliciter corporea, comparata cum inferioribus creaturis vocantur incorporea, ac vicissim. Damascenus de Fide L. II. c. 3. « Incorporeus (Angelus) et immaterialis dicitur quantum ad nos, nam omne ad Deum collatum, qui solus incorporealis est, crassum et materiale reperitur. » Et Gregorius M. in Moralib. L. II. c. 3. « Sicut illorum (Angelorum) spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus corpus. »

VI. Succedunt ii Patres qui speciatim Angelos vocant *ignem*, *aethereum*, *aerium spiritum*, et huiusmodi. Ita Basilus de Spir. S. c. 16. « Neque enim caelorum virtutes suapte natura sanctae sunt, alloquin nihil differret a Spiritu Sancto... Quemadmodum ceterum non sine igne intelligitur, cum aliud sit subiecta materia et aliud ignis, itidem et in caelestibus virtutibus substantia quidem earum



spiritus est, puta, aerius, aut ignis immaterialis, iuxta id quod scriptum est: qui facit Angelos suos spiritus etc. Quapropter et in loco sunt, et fiunt visibiles, dum ipsi qui digni sunt apparent in specie propriorum corporum. » Methodius apud Photium. Cod. 234, docet id quod ex puro aere et puro igne componitur, esse angelicus naturis ὁμοουσιον. Severianus Gabal. De mundi Opificio hom. 4. « Rogo, utri maiores Angeli an homines? Plane Angeli; cum enim virtutis modum admodum attigerimus, tunc illos non speramus, sed pares eis effimur. Nunc vero longe ab eorum natura distamus ac incorporeo Angelorum statu inferiores sumus. Audi hac de re Davidis testimonium quid est homo etc. (Ps. 8). Hactenus minorati prae Angelis sumus; nos minores, illi maiores... Quid est homo? nonne terra et ex terra? Quid sunt Angeli? nonne spiritus, nonne ignis? Audi clamantem Davidem: qui facit Angelos suos etc. Ignis naturam condens Deus intelligentes ac incorporeos spiritus consilario opus non habuit, non operis socio: hominemque de terra condens, misellum, vile... consilium init, deliberationem instituit. » Damascenus De Fide L. II. c. 3. « Angelorum factor est Deus ipse ex nihilo ad esse adducens... naturam incorpoream, ut spiritum quemdam aut immaterialem ignem, sicut divinus David dicit: qui facit Angelos suos flammam ignis, agilitatem, ignitionem, fervorem, penetrabilitatem, et acumen circa divinum desiderium et ministerium designans, atque ipsorum sursum ferentem et ab omni materiali ratione liberam puritatem. Angelus igitur est substantia intellectualis, semper mobilis, suae potestatis, arbitrioque libera, incorporalis, Dei ministra. » Nazianzenus Orat. 38. n. 9. « Ita secundi splendor procreati sunt primi splendoris administri; sive intelligentes spiritus, sive ignem velut materiae expertem et incorporeum, sive aliam quamdam naturam, quam proxime ad has accedentem existimare oportet. » Tum pergit dicere quod post hunc νοητον κοσμον creavit Deus alterum mundum materia constantem et aspectabilem.

Verum primo eadem responsio adhiberi potest ac praecedentibus, a quibus eo potissimum differunt quod explicitè designent aliquam speciem corporis quod Angelus sit. Ceterum iuxta hos Patres Angelus est aether, ignis, sed aether aut ignis immaterialis seu materiae expertis ἀψυχος, est praeterea ignis aut aether intelligens. Vel absurdissima ergo insania excogitata est a Patribus, vel nomen ignis et similia accipienda sunt metaphorice: quemadmodum etiam accipitur metaphorice nomen spiritus. Imo interpretationem huiusmodi praeter Basilium et Damascenum et Nazianzen. l. c. qui *ignem* vocant *imaterialem*, praemonstrat nobis Dionysius Areopag. Cael. hier. c. 45. in quo figuras explicat quibus Angeli representantur.

Quaerit quare Theologia approbaverit prae ceteris sacram illam igneam descriptionem (appellando Angelos ignem). Respondet: « significare formam igneam caelestium intelligentiarum maximam cum Deo conformitatem; sancti siquidem Theologi supressentalem et quae formari naquit essentiam in igne saepe describunt, veluti qui nullas quodammmodo visibiles divinae proprietatis imagines praeseferat ». Sequuntur plures ignis proprietates. « Quod cum Theologi perspectum habeant, caelestes essentias ex igne formant, declarantes earum divinam similitudinem, et quantum licet imitationem. » Adde quod refert Gelasius Cyzicenus (Act. Synodi Nicenae L. II. c. 45.). Verba sunt Patrum respondentium ad philosophum « illa vox *faciamus* (Gen. I, 26) sanctam prorsus et nequaquam diversam Patris et Filii divinitatem exprimit. Imago enim Dei (anima) simplex est et omnis compositionis expert; cum sit (imago) ignis natura ».

Quibus constitatis licebit expedire questionem circa verba Basilii in l. c. quid enim dicere patandum est, cum ait Angelos apparere in specie propriorum corporum ἐν τῷ εἶδει τῶν οὐρανίων αἰθέρων σωμάτων? An spiritus angelici habent corpora propria, eaque sunt illa ipsa, quae apparent, cum ii se videndos exhibent? Si id dicere voluit Basilium, collocandus erit inter eos, quos in tertia classe enumeramus. At huiusmodi interpretatio verborum Basilii, quae nonnullis adeo clara videtur, est reapse difficilis: non enim cohaeret cum contextu. Nam in praecedentibus non dicuntur Angeli habere corpus igneum, sed esse dicitur ἢ ὄσται eorum veluti spiritus aerius aut ignis immaterialis: propria ergo corpora non sunt corpora quae habentur, sed sunt ea, in quibus ipsa natura Angelorum posita est. Quare probabilior nobis est haec interpretatio, quam subicitinus. Scilicet quandoquidem Angeli cum apparent se exhibere solent fulgentes ad modum ignis, leves ad modum aeris, non immerito dicuntur apparere in specie h. e. similitudine propriae naturae, quae spiritus aerius est et ignis, sed immaterialis.

Itaque et hi Patres non nisi verbo tenui a prioribus differunt, et sunt cum illis connumerandi.

VII. Succedunt tertio ii qui Angelos duplici constare substantia volunt, spiritu et corpore, inter quos citatur Origenes De Princip. L. II. c. 2. Fulgentius autem De Trinitate c. 9. ait: « Plane ex duplici eos esse substantia adserunt magni et docti viri, id est ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt, et ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent: approbantes hoc ex illo loco Psalmi: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Corpus ego aetherium idest igneum eos dicunt habere, Angelos vero malos idest daemones corpus aereum ». Clau-

dianus Mamertus idem affirmat in op. de statu animae L. I. cc. 13. 14. « Duplex est angelica sicut humana substantia, habens corpus totius facilitatis, maximaque pulchritudinis, quod hominibus, cum iubetur, appareat, habens incorporeum quo Deum semper videat.... Intelligere nos oportet constare hominem ex corporeo et incorporeo utroque in melius reformando: constare Angelum ex corpore et spiritu praecipua inter creaturas dignitate formato. Spiritus namque illi est omni spiritu creato potentior; corpus illi de potissimo omnium elementa sublimius, secundum illud propheticum (Psal. CIII, 4), ubi angelica substantia duplex sine dubio perhibetur, quod dictum est: qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Ignem vero non esse spiritum, et spiritum perinde ignem non esse manifestum est ». Lib. autem III. c. 7. docet Angelum peccando innocentiam perdidisse non naturam: item Angelos corpora habere, quibus videantur cum apparent, et Daemones quibus pati possint: quia « nec Angelus ab homine sine corpore videri potest » et quia « sentire sine corpore corporea tormenta non potest ». Augustinus epist. 9. « Nequaquam est absurdum, eos (Angelos) qui aërio vel aethereo corpore aliquid in corporibus agunt, quae naturali ordine penetrant, longe maiore uti facilitate ad movendum quidquid volunt ». Et in Psal. LXXXV, a. 17. « Adhuc habet vitam corpus nostrum et tamen comparatum corpori illi quod fatuum est, qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum ». Rupertus Abbas Tuitensis De victoria verbi Dei L. VII. c. 26. ait: « quod Angeli ante transgressionem caelestia corpora gerebant, lapsi in aëream qualitatem conversi sunt ». Quod ex Augustino sumpsit qui sic disputat in Lib. III. De Genesi ad litt. c. 10. « Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, caelestia corpora gerebant (quidam enim, ut paulo ante ait, hoc negabant; nam, ut ait « nonnulli nostri non eos (Daemones) putant caelestes vel super caelestes Angelos fuisse ») neque hoc mirum est, si conversa sunt ex poena in aëriam qualitatem, ut iam possint ab igne idest ab elemento naturae superioris aliquid pati. » Bernardus De Consid. L. V. c. 4. id inter opinabilia ponebat an Angeli corpora aliqua habeant.

Corpus habere spiritus angelicos supponebant quoque Patres illi, qui commercium Angelorum cum feminis commenti sunt. Hi sunt Iustinus Apologia II. c. 5. Tatianus adv. Graecos c. 11. Athenagoras Legat. n. 24. Auctor Clementinarum Clement. VIII. n. 13. Clemens Alexand. Paedag. I. II. c. 2. Methodius [de Resurrect. apud Photium cod. 234. et apud Epiphanium haer. LXIV, n. 21. Lactantius Instit. L. II, c. 15. Quibus consentit Commodianus scriptor seculi III, atque consentire videtur Irenaeus L. IV. c. 16, et hanc opinionem suppo-

nere satis significat Ambrosius De Virginit. L. I. sub finem: et de ipsa Augustinus dubitat De Civ. Dei L. XIII, c. 23.

Verum advertimus quod haec opinio de corpore angelico non est uniusmodi. Nam 1) quidam asserunt Angelis corpus dissimile prorsus nostro ex uno elemento constans et quidem ex his aliis omnibus Angelis corpus tribuunt, at non idem Angelis bonis ac malis, sed bonis aethereum, malis aereum: alii vero solis malis corpus huiusmodi attribuant. Quidam vero 2) videntur Angelis tribuere corpus non dissimile a nostro secundum speciem, licet perfectius, ita ut in ipso exerceant spiritus angelici opera vitae animalis, cuiusmodi sunt manducare, concupiscere et coire cum feminis.

Iam vero prima opinio conciliari haud difficile potest cum sententia purae spiritualitatis Angelorum; etsi concedendum sit eam non satis distincte conceptam fuisse ab iis doctoribus. Sane, si aliud est corpus boni, aliud corpus Angeli mali, et multo magis si solum mali gerunt corpora, quoniam per peccatum natura mutata non est iuxta ipsam doctrinam Patrum, dicendum est corpora ad intrinsecam naturae Angelicae constitutionem non pertinere. Nisi velimus dicere discrimen aliquid secundum essentiam creditum fuisse existere inter eos Angelos qui steterunt et eos qui lapsi sunt, et putaverint hi Patres solos eos Angelos peccasse, qui inferioris erant conditionis; quod quidem est nimis arbitrarium, licet non desint Patres qui forte suspicioni huic dare possint locum, quatenus quidam censent Angelos qui lapsi sunt fuisse ex inferioribus, qui praefecturae huius teluris praepositi fuerant. Cf. Augustinum loco superius citato, et Damascenum De Fide L. II. c. 3. Unde Isidorus Hisp. de differentiis rerum n. 14. ait « veteres differentiam statuisse in Angelos, Daemones, homines. Angeli spiritus sunt... qui missi corpora ex excellenti aere sumunt (non ergo ex se naturaliter habent). Daemones impuri spiritus mente rationabiles, corpore aerei. Homines sunt rationis capaces, animo immortales... corpore fragiles... singillatim mortales... » Quo discrimine admissa, dicimus sententiam horum Patrum circa naturam Angelorum colligendam esse ex eo quod docent de iis quos ipsi Angelos simpliciter appellant. Ceterum interpretationem nostram quod corpora iuxta hos Patres non spectent ad essentiam Angelicam suadet et illud quod Patres hi mentionem non faciunt animae Angelorum, h. e. non considerent spiritus Angelicos ut vivificantes corpora sua. Et sane ipse Augustinus in Retractat. L. I. c. 11. monet nusquam in Scripturis appellari animas Angelorum; unde cum PP. animam vocant, si de intelligente loquuntur, semper animam hominis intelligunt, animasque Angelis opponunt; illique fidem Patres qui Angelis corpora tribuunt.

Porro ratio, cur corpus huiusmodi aethereum vel aereum tributum sit Angelis, ea esse videtur, ut nimirum apparere possent, ac communicare cum mundo sensibili ac pati a causis physicis puta ab igne. Hoc quidem postremum argueret corpus ad naturae angelicae constitutionem pertinere; verum distinguendum esse iam monimus inter id quod dicitur, et id quod consequitur ex iis quae dicuntur: fieri enim potest quod haec consequentia non videatur. Cum censeant PP. naturam propter peccatum non esse mutatam, diversaeque speciei corpora Angelis stantibus ac lapsis attribuant aut lapsis solum corpus tribuant, peccatum autem non fuerit proprium alicuius specialis naturae angelicae, sed et ex supremis et inferioribus peccasse Patres generatim censerunt, hoc ipso credibile est non habitum fuisse corpus istud ut elementum intrinsecum angelicae naturae. Quia vero propter communicationem cum mundo sensibili opus esse aliquo corpore censebant, hinc speciale quoque corpus pro poena ignis subeunda Daemonibus attribuerunt, in qua communicatio est quaedam spiritus cum natura sensibili.

Ceterum haec sententia neque in Scripturis fundamentum habet, licet ex iis deducta videatur eo quod Angeli sub specie sensibili appareant ita tamen ut mox invisibiles fiant; atque alia sensibilia agant et pati dicantur ab igne: haec enim omnia explicare optime possunt sine corpore angelico, ut vidimus. Nec verba Psalmi eam suadent, quae de eadem re sub duplici forma loquuntur. Neque philosophice defendi potest; nam nulla est necessitas ut spiritus corpori alicui sit alligatus: nec intelligitur quo spectet corpus incapax vitae unitum spiritui.

Quoad aliam opinionem quae corpus simile nostro Angelis tribuit, certum est eam non esse ex traditione apostolica seu non referre id quod revelatum est. Reiecta enim fuit subsequentibus saeculis ab omnibus, et prout commercium cum feminis comminiscitur, quod quidem in ea hypothesi haud improbabile videri debebat, irrisa quoque et contempta. « Quanta dementia est, ait Chrysost. hom. XXII in Genesim. n. 2., putare incorporeas naturas corporibus esse copulatas » Eodem modo loquitur Caesarius loco superius citato. Ea quidem opinio, supposito imperfecto et adhuc confuso conceptu excellentiae naturae angelicae atque spiritualitatis, orta est ex prava interpretatione verborum Gen. VI. 2. quae iam exposuimus. Augustinus autem se solum dubitare hac de re significat de Civ. Dei L. XIII. c. 23. scilicet ait « se non audere aliquid definire utrum aliqui spiritus elemento aereo corporati (nam hoc elementum etiam cum agitur flabello, sensu corporis tactuque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem etc. »

Et tamen ipse Augustinus ita alibi loquitur ut exhibeat Angelos tanquam puros spiritus, ut in epist. 228. n. 13. Ceterum sepositis iis qui commercium Angelorum cum feminis excogitarunt; non multi sunt qui Angelos ex spiritu et corpore constare censerunt. Forte Fulgentium decepti ea ratio loquendi Patrum, qui Angelos corporeos aut ignem seu aethereum vocarunt; qui tamen, ut vidimus, ab aliis sunt secernendi. Porro licet ex antiquioribus Patribus sint qui arbitrati sunt Angelos convenisse cum feminis, attamen ut huic difficultati vis adimatur, duo reponimus. 1. Id affirmatum est de iis Angelis qui in inferiore essent ordine, qui huius terrae regimini praepositi fuerant, qui non essent caelestes aut supercaelestes, ut ait Augustinus; quos forte illi Patres alterius naturae putabant ac sint Angeli caelestes qui in veritate steterunt. Unde non esset consequens eos Patres negasse spiritualitatem puram Angelorum, sed solum quorundam inferioris ordinis Angelorum. 2. Notio haec de pura spiritualitate Angelorum spectat ad conceptum plane clarum et distinctum rei, quem ab initio non omnium mentibus affluisse mirum esse non debet iis, qui sciunt in hac re intellectum catholicum progressus facere posse. Ab initio creditum est Angelos esse intelligentes, superioris naturae ac sit humana (licet aliquis ut Tertullianus c. Marcion. L. II. c. 8. de hoc quoque dubitasse videtur), ac Dei ministros in rerum gubernatione; his quidem iam virtute continetur doctrina de pura spiritualitate; verum haec distinctior notio utrum nempe Angeli sint spiritus secreti a quovis corpore, atque omnes tales sint, quae quidem notio accurate pensis iis quae Scripturae docent et quae ipsa primitiva traditio apostolica continebat poterat obtineri, haec notio inquam fructus est cuiusdam reflexionis et analysis, nec proinde opus fuit ut ab initio omnibus communis existeret. Simile quid contigit quoad animae humanae originem, quam ex traduce esse tanquam valde probabile Augustinus censebat, licet eam simplicem vere esse non negaret. Scilicet negari nequit conceptus huiusmodi *simplicis et spiritus* quemadmodum et aliarum rerum, non obtinuisse quavis aetate penes omnes Scriptores Ecclesiasticos eandem claritatem, atque posteriores Doctores prae prioribus profecisse. Quocirca excipimus contra illos qui vellent conceptum naturae Angelorum exigi ad normam cuiusdam opinionis antiquae eo quod antiqua est: in hac enim re negamus testes eo quod antiquiores praevalere auctoritate recentioribus. Fieri enim potest ut subsequentes Patres penitente analysi ipsius rei traditae illum conceptum eliciant, qui plene rei respondeat, sicut ipsam traditionem plene exhibeant ipsamque Ecclesiae sensum, qui semper praevalere debet.

Ex disputatis hactenus constat doctrinam de pura spiritualitate

Angelorum solidum fundamentum habere in Scripturis atque in Traditione, quam certe referunt ii Patres quos primo loco citavimus atque ii qui licet Angelos vocent corporeos aut ignem aut quid simile, uno tamen eos non duplici elemento constare docent eosque esse intelligentes; nec his per se adversantur qui corpus aethereum aut aereum eis tribuunt.

VIII. Verum contra haec insurgit Mosehmus advertens nostram argumentationem falso supposito laborare. Scilicet, ait, supponitur quod Patres cum spiritum nominarent, intellexerint eam essentiam simplicem, immaterialem, quam nos modo concepimus: atqui id falsum est generatim; spiritus enim ipsis erat materia quaedam subtilis tenuis distincta quidem ab hac crassa et sensibili materia, sed adhuc materia, quae contrahi et extendi posset, sicut aether et aer (In notis ad Cudworthi Systema Intellectuale c. V. Sect. 3. n. 25.) Et sane Auctor citatus in Conflictu Catholici cum Serapione ait: « Arn. Numquid si dixero vox hominis est incorporea, mentior? Serapion dixit: quis enim vocem unquam corpoream dixit aliquando. » Cf. et testimonia Caesarii et Cassiani superius relata.

Nihilominus recipi nequit haec Mosehmii interpretatio. Nam 1. perperam probatur ex auctoritate eorum Patrum qui Angelos corporeos aut ignem seu aethereum esse dicunt; iidem enim docent Angelos carere materia; quocirca nomina quidem adhibent quibus materia aliqua significatur, sed patet quoque improprie ab iis haec nomina usurpari, puramque spiritualitatem affirmari. 2. Etsi quidam simul connumerent sub appellatione spiritus Angelum, animam, et aereum, patet nihilominus connumerationem esse tantum analogam. Audi Lactantium qui loco citato ait: « qui (Angeli) quia sunt spiritus tennes et incomprehensibiles insinuant se corporibus hominum et occulta in visceribus operati valetudinem vitant, morbos citant. » Quid vero sibi velint ea epitheta *tennes* et *incomprehensibiles* accipere ab ipso ex lib. de Opific. Dei c. 19: « Corpus ex corporibus nasci potest quoniam confertur aliquid ex utroque (parente): de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil decedere potest. » Res ergo tenuis et incomprehensibilis est ens simplex. 3. Etsi gentiles Philosophi spiritum non conceperint nisi sub ratione cuiusdam materiae subtilis, ineptum est tamen arbitrari Patres ex iis suum conceptum sumpsisse, et ideo caruisse vera notione spiritus. Nam Patres non a Philosophis sed a Scriptura et Traditione conceptus suos hauriebant, et certum est Patres habuisse verum conceptum Dei: atque certum est eosdem sub genere spiritualium rerum connumerasse cum Deo animas et Angelos. Cf. inter ceteros Augustinum in epist. citata 228.

IX. Manet ergo conclusio, quam superius collegimus in fine p. VII. Fatendum tamen est existitisse per plura secula quemdam dissensum, aut quamdam dubitationem, quae paulatim desit. Et enim seculo quoque XII ita S. Bernardus loquebatur De Consider. L. V. c. 4. « Investigemus investigabilia. Et primo quidem cives spiritus esse illic corpore aethereo, immortalitate perpetuos... Quamquam de corporibus horum non modo unde sint, sed an aliquatenus sint haeret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia id ponendum censuerit, non contendo. » Eodem seculo Hugo Victorinus Tom. 3. De Creatione c. 1. et 2. docet spiritus ita a Deo esse creatos ut Angeli in sua puritate permanerent; animae corporibus ingerentur, atque Angelos esse essentias indivisibiles et immateriales. Iisdem coaevus Magister sententiarum in 2. d. 8. ait quod « solet in quaestione versari apud doctos utrum Angelii omnes corporei sint, idest corpora habeant sibi unita. » Refert aliquos id arbitrari innixos auctoritati Augustini, qui id videtur asseruisse De Gen. ad lit. L. III. Ipse rem in medio relinquit.

Seculi XIII sub initium lata est definitio Concilii Lateranensis IV. « Credimus... quod unus solus est verus Deus... qui... simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualement et corporalem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » De qua definitione mox.

Post idem Concilium eodem seculo scribens Albertus M. in II. D. 8. a. 1. proposita quaestione: an Angeli habeant corpora, ait: « Videntur Patres de huiusmodi diversa sensisse; nec mihi perspicuum est unde alterum doceam, et nescire me fateor. Sed et nostris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam... Antiquitus opinati sunt sancti diversa circa ista. *Sed modo veritas magis discussa est*, et inventum est Augustinum ista ex hypothesi dixisse, et opinionem aliorum referendo. Et ideo *nullo modo dubitandum est quin Angeli spirituales sint substantiae, et nulla corpora habeant naturaliter unita.* » Gullielmus Episcopus Parisiensis eodem seculo, in Tract. De universo. parte 1. secundae partis principalis. c. 72. probat rationibus philosophicis Angelos esse puros spiritus. Testatur autem quibusdam visum esse contrarium. Quid eadem aetate senserit Thomas liquet ex comm. in 1. c. sententiarum, et ex Summae 1. p. q. L., ubi simpliciter docet Angelos puros spiritus, provocans primum ad Scripturam et Patres. Tandem Bonaventura ei coaevus in II. D. 8. a. 1. haec habet: « Circa hanc quaestionem dubitaverunt aliquando magni Doctores, utrum scilicet Angeli habeant corpora naturaliter sibi unita... Sed *nunc*

*satis certitudinaliter tenetur...* quod Angeli sunt naturaliter incorporei, nec habent corpora naturaliter sibi unita; de hoc tamen plures dubitant » nempe de Daemonibus; sed advertit quod cum eadem sit natura, non est ratio dubitandi. Sensim deinceps omnis discrepantia cessavit ac una omnium tum doctorum tum fidelium fuit sententia Angelos puros esse spiritus.

Porro Theologi veritatem hanc tradunt tanquam revelatione contentam, quemadmodum Patres; nam etsi argumentis philosophicis utantur, haec adhibent tantum suo more in confirmationem et explanationem veritatis, quam ex Scriptura et testificatione Patrum primum adstruunt; quapropter oppositam sententiam nedum falsam, sed et temerariam, atque etiam haeresi proximam non dubitant affirmare. Unde sic arguere licet: aeterna doctrina esse revelata ideoque antiqua quin statim adsit universalis consensus, et quin statim sub distincto et adequato conceptu apprehendatur: universalis autem consensus sub adequato eius conceptu existens est indicium certissimum antiquitatis ideoque veritatis eiusdem sub eadem adequata notione apprehensae: quare et doctrinae de pura spiritualitate Angelorum non officit dissensus ille, qui aliquando penes Scriptores aliquos extitit, et eam luculenter confirmat consensus universalis superveniens. Est ergo haec doctrina theologice certa, cum scientificè probatum sit eam contineri deposito revelationis.

X. Verum est ne etiam credenda de Fide? Veritas est credenda de Fide, cum per authenticum magisterium proposita est credenda. Quaestio ergo eo redit utram allata definitio Concilii Lateranensis quaestionem diremerit, statueritque Angelos puros esse Spiritus. Negari nequit posse hunc sensum subici verbis Concilii per se spectatis; imo hunc sensum esse isdem verbis apprime consentaneum. Negant vero Theologi per ea verba Concilii quaestionem definitam esse (cf. Petav. De Angelis L. I. c. 3. Vasquez l. p. q. d.). Scopus enim Concilii erat definire contra Manichaeos Deum esse auctorem utriusque naturae, quae spiritualis et corporalis dicitur et est. Quia vero spiritualis concipi potest natura, aut saltem concepta est, et tunc temporis quoque ab aliquibus concipiebatur, quae aliquid corpus quomocumque unitum haberet, hinc quaestio adhuc restat cuiusmodi sit natura illa spiritualis, de qua Concilium loquitur, quod quidem haec in re sententiam suam noluisset aperire. Verum non distinguendum esse censemus: si enim quaeritur an constet per eam definitionem Angelos non esse corporatos sicut est spiritus humanus h. e. non habere corpora cuiusmodi sunt nostra, quae tanquam formae ipsi vivificent, censemus respondendum esse in definitione lateranensi clare exhiberi creaturas spirituales tales ut non sint hoc pacto

corporatae; opponuntur enim humana natura et natura spiritualis, atque ideo quia illa est composita ex spiritu et corpore. Si autem quaeritur an constet Angelos nec aliquid corpus aetheream adiunctum habere, quod non impedit saltem ex quorundam haud contemnenda sententia eos appellari simpliciter spiritus; respondemus id ex hac definitione nondum constare. Et re quidem vera ratio loquendi Theologorum illius aetatis, qui post Concilium immediate scripserunt, nos non sinit de hac re dubitare.

XI. Reliquum est ut de Concilio Niceano II aliquid dicamus, cuius doctrinam cum doctrina Concilii Lateranensis pugnare vult Cudworth in Systemate Intellectuali pag. 474. sq. Res ita se habuit. Actio-  
ne 5. lecta est pars sermonis Ioannis Episcopi Tesselonicae, in qua docemur Angelos pingi posse; atque hae rationes afferuntur: « quia licet intelligentes eos noscat catholica Ecclesia, tamen non illos noscit ut omnino incorporales et invisibiles, at subtiles corpore et aereos aut igneos (λεπτοσωματους και αερωδεις ή πυρωδεις) secundum id quod scriptum est: qui faciunt Angelos » etc.: quod probat provocans ad Basilium, Athanasium (qui tamen perperam citatur), Methodium, aliosque; unde infert eos esse in loco, et esse circumscriptos. Subdit quod si alicubi reperiantur Angeli vocati incorporei, id accipiendum hoc sensu quod non sint ex commixtione quatuor elementorum, non sint corpora crassa similia his quae nos circumstant. Quamvis, ait, incorporei dici possint comparati nobiscum, sed non sunt omnino incorporei sicut divina natura. Tum rursus probat Angelos pingi posse in humana forma: « quia sic frequenter apparuerunt his ad quos missi sunt a Deo ». Haecenus Ioannes Thessalonicensis. Ex cuius verbis patet sententiam quam tuetur non eam esse quae duplicem substantiam distinguit in Angelis, sed eam quam secundo loco memoravimus, volentium Angelos esse ignem, aërem et huiusmodi. Iam vero peracta hac lectione Tarasius Patriarcha Const. eius veluti anaephalosim faciens, repelens argumenta quibus probatur Angelos pingi posse, haec duo commemoravit, quia nempe « circumscripti sunt, et sub forma humana apparuerunt multis ». Porro huic recapitulationi tantum Tarasii sancta Synodus assensum suum praestitit respondens. « Etiam Domine ». Assensus ergo Synodi non est latus in eam sententiam quod Angeli sint corporei vel corpora. Cur vero Tarasius omisit in sua recapitulatione illam rationem allatam a Ioanne? Si quid coniectare licet, credere possumus Tarasium omisisse rationem illam, quod corporei sint Angeli, vel quia ipsi non probabatur, vel quia putabat Patribus non probari. Et sane eadem Synodus Act. 4. cum ex sua sententia loqueretur in decreto a se condito ait: « se honorare imagines Christi, Mariae Virginis,

Sanctorum etiam et *incorporalium* Angelorum; ut homines enim *instis* apparuerint », quae est ratio cur pingi possint. Quanam igitur oppositio inter hoc Concilium et Lateranense IV?

Scholion. Expedita quaestione an Angeli sint pari Spiritus, expedita est quoque quaestio an Angelus constet materia et forma, si haec proprie accipiuntur. Nihilominus non defuere qui utrumque componere vellent et Angelos esse incorporeos et constare materia formaque. S. Thomas (1. p. q. L. a. 2.) citat Avicbron, qui est iudaicus Salomon ben Gebirol. Etiam Alexander Aleensis idem sensisse videtur. Ipse quidem in Summa p. II. q. 20, m. 3. docet quod Angelus per hanc differentiam (incorporeus) differt ab anima; licet namque anima sit substantia incorporea, tamen est unita corpori, Angelus vero nec est substantia corporea, nec unibilis corpori, nec unita; et hoc tantum privatur ab ipso per hanc differentiam *incorporeus*... Si vero quaeratur utrum simpliciter debeat dici incorporea; dicimus quod sic, cum hoc absolute et secundum se ei conveniat; licet quoad Deum inveniatur quid grossum et materiale. » Quaest autem XLIV. m. 2. ait « ad quaestionem dicendum, sine praedictio melioris sententiae, quod non una est materia communis caeli et terrae » Atque ibi quidem de hac re data opera loquitur, eum vero id probat, obiter ait « oporteret namque dicere quod eadem esset materia spirituum et corporum, quod non admittimus »

At praeteriri silentio non potest quid in hac re Augustinus dixerit. Iam enim audivimus (Th. XV) eum distinguentem materiam quamdam spiritualem et corporalem; de qua et in Gen. ad lit. L. I. c. 4. mentionem facit his verbis « an cum primum fiebat informitas materiae sive spiritualis sive corporalis ». At quid per eam intellexerit Augustinus, satis nobis significasse videtur in eodem L. I. tum c. 2. n. 3. tum praesertim c. 5. inquis n. 40: « Non habet informem vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est ei vivere quod est sapienter et beate vivere. Creatura vero quamquam spiritalis et intellectualis vel rationalis, quae videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informem vitam; quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere quod sapienter vivere ac beate vivere. Aversa enim a sapientia incommutabili stulte ac misere vivit, quae informitas eius est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiae Verbum Dei; a quo enim existit ut sit atque vivat, ad illum convertitur ut sapienter ac beate vivat. » Ex quibus verbis haec colligere possumus. Distingui potest in spiritu tum natura eius tum conversio eiusdem ad Deum per gratiam; prior per se est adhuc informis, formatur vero et completur per alteram. Prior ergo velu-

ti materia dici potest ex qua creatura spiritalis perfecta facta est. Neque est necesse ut haec informitas prior tempore fuerit sua formatione ab eaque realiter distincta; nam ipso momento Augustino L. VII. c. 27. « Si materia aliqua formabilis fuit et corporalis et spiritalis... formationem suam non tempore sed origine praecedat, sicut vox cantum. »

Huic doctrinae Augustini consonum est quod ait Maximus Martyr in Scholis ad c. 3. de Div. Nomin. « Invisibiles et supremae mentes primum essentialiter vel existentiae fuere participes, ac deinde vitae atque sapientiae. Ut enim in nobis prima est producta materia ex qua sumus, sic in mentibus corpore carentibus, *instar materiae* intelligitur ea quae est uniuscuiusque per vitam forma, et secundum quam substantiatur ad vitam et sapientiam et similitudinem. »

Ceterum aliquando Augustinus mentionem quandam facit cuiusdam materiae spiritalis praeeistentis ex qua facta sit anima, ut de Gen. ad lit. VII. 6. « Sicut caro, excepto quod iam caro est, in quo natura vel proficit ut pulcra vel deficit ut deformis sit, habet etiam materiam, idest terram, de qua fieret, ut omnino caro esset; sic fortasse potuit et anima, antequam ea ipsa natura fieret, quae anima dicitur, cuius vel pulcritudo virtus vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quae nondum esset anima; sicut terra, de qua caro facta est, iam erat aliquid, quamvis non erat caro ». Verum hoc in loco primum dubitans rem proponit, tum in sequentibus tot contra haec opinionem difficultates obicit, ut eam improbare videatur. At postea exorta controversia pelagiana, cum Augustino non improbabilis videretur propagatio animarum per traducem (cf. seq. Th. XXVIII), alicuius incorporei seu spiritalis seminis meminit, ex quo credi possit fieri animas singulorum post illam primam a Deo immediate creatam. Id videre est in utraque Augustini epistola ad Oplatum. Animam tamen Augustinus semper consuit « incorpoream esse, idest non corpus, sed spiritum », ut ait de Gen. ad lit. VII. 28. et in epistola ad Hieronymum CLXVI. et manifeste docet in lib. de quantitate animae cc. 4. seqq. ubi animae negatur ulla quantitas, sicut negatur iustitiae.

Verum si rem philosophice perpendamus, nimis evidenter patet absurditas materiae spiritalis, ex quo spiritus fiant. Contradictio est enim 1) inter haec duo, scilicet materiam ex qua aliquid fit, et spirituale; si vere aliquid ex materia fit, quod tunc vere contingit cum fit aliquid ex praeeistente, cuiusmodi est semen. Nam illud, unde aliquid vere fit, nequit esse simplex: quod autem non est simplex, nequit esse spirituale. Rursus 2) contradictio est aliquid ex alio vere fieri et esse spiritum: quod enim ex alio vere fit, non

est simplex, spiritus vero simplex est. « Materia spiritalis, ait Derkennis theologus sane nobilis (De Angelis c. 2.) est figmentum chimaericum ablegandum: praesertim cum ipsa materia corporea, prout passim Aristoteli tribuitur, etsi fortasse minime iuxta mentem eius, satis sit difficilis intellectu, ne dicam suspecta ». S. Thomas autem 1. p. q. L, a. 2.: « impossibile est, ait, quod substantia spiritalis habeat qualemcumque materiam », cuius rei demonstrationem vide ibi.

Non tamen improbanda est prorsus haec ratio loquendi, quae penes veteres identidem occurrit (cf. Pelavius de Angelis L. I, c. 4), ut nimirum spiritus dicantur materia et forma constare, si haec rite sensu quodam legitimo accipiatur. Illic enim sensus huc redit, ut spiritus sint non omni ex parte compositionis expertes, sint mutabiles, perfectionis ulterioris et imperfectionis capaces, quorum omnium in universa natura corporea fundamentum et ultima ratio dicitur *materia*. Porro istud doctrinae caput est verissimum, iam traditum, ut vidimus, ab Augustino. Improbati ad summum poterit loquendi modus; atque ii Scriptores, qui eo usi sunt, si aliquid amplius dicere voluerint, verique nominis materiam spiritibus asserere, sunt quoad hoc relinquendi; discedunt enim a communi veraeque sententia.

#### Thesis XIX.

*Angelici spiritus possunt esse definitivè in loco, h. e. in aliqua parte extensa spatii; necesse est autem ut sint alibi. Praesentia Angelorum in loco non constituitur formaliter per operationem, sed est modus relativus indistinctus realiter substantiae illius quae dicitur praesens. Moveri quoque possunt Angeli motu locali, qui est transitus ab uno termino spatii ad alium per medium.*

I. Certum est spiritus non posse esse in loco *circumscriptivè*. Etenim qui ita existit in loco, oportet ipsum commensurari loco ita ut secundum diversas sui partes respondeat diversis partibus spatii; et ideo oportet ipsum ex partibus constare distinctis, quarum aliae sint extra alias; atqui spiritus simplex est: ergo. Quaestio igitur reliqua est an spiritus possit esse in loco *definitivè*, quae quidem quaestio duo complectitur, primum an possit spiritus esse in loco, ut nempe aliquod spatium extensum sua realitate occupet, alterum an possit esse ita haec ut non sit alibi.

II. Quoad hoc alterum quaestio facile expeditur sive consularit traditio, sive ratio. Nam ii omnes Patres qui Angelos corporeum

quid esse docuerunt, id voluerunt dicere Angelos etiam quoad locum circumscriptos h. e. definitos esse, et qui eos corporeum quid esse negarunt, docuerunt pariter eosdem non simul esse in omnibus locis, sed cum sunt haec non esse illic. « Circumscripti sunt (ait Damascenus I. c.) quoniam cum in caelo sunt, non sunt in terra, cum in terram a Deo mittuntur non manent in caelo. Cum autem intelligentiae sint, etiam intelligibilibus in locis sunt, non corporum more circumscripti. Non enim ut corpora secundum naturam figurantur neque triplici dimensione constant, sed eo ipso sunt in loco quod intelligibiliter praesentes sint et agant ubicumque esse iussi sunt, nec valeant eodem momento simul haec et illic esse et agere. » Idem pariter ex latinis docet Gregorius M. *Moralium* L. II, c. 3. « In hoc est nunc natura angelica a naturae nostrae conditione distincta, quod nos et in loco circumscribimur, et caecitatis ignorantia coartamur. Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt; sed lamen eorum scientiae longe super nos incomparabiliter dilatantur. » Et re quidem vera spiritus Angelicus cum finitus in perfectione sit, non exigit certe immensitatem, quae a solo ente infinito exigi potest: quod vero immensitatem non exigit, potest existere quoad spatium quod occupat modo finitò: quod autem ita est comparatum potest esse haec et non alibi; ergo. Quocirca patet missionem Angelorum, eorumque progressionem ab uno loco ad alium, de quibus frequenter sermo est in Scripturis, accipiendam esse proprie ita ut sit missio ab uno loco ad alium, locique vera mutatio: termini enim huiusmodi adhibiti de personis finitis, quae in loco existunt, hanc propriam induunt significationem.

III. Quoad primam quaestionem, quam proposuimus, nimirum an spiritus angelicus possit esse in loco h. e. occupare spatium extensum, affirmativam responsum Patres et Scripturae, ipsaeque ratio manifeste suppeditant. Sane ratio docet non solum posse spiritum occupare spatium extensum, sed certo modo proprium esse spiritus prae corpore spatii extensionem occupare. Nam 1. simplicitas, quae est positiva perfectio, efficit ut spiritus ibi possit esse ubi est corpus, sed perfectione modo, h. e. totus in singulis punctis spatii occupati. Hinc 2. sequitur quod corpus quidem est in certo spatio extenso quatenus singulae eius partes occupant singulas partes illius spatii, ideoque corpus dicitur esse et est in certo spatio propter singulas suas partes quae sunt in spatio respondente sibi; et cum singulae partes sint distinctae, non est prorsus idem quod existit in toto illo spatio occupato a corpore. At spiritus ita potest esse in spatio extenso ut cum ibi est, sit omnino idem illud quod universum hoc spatium occupat; idcirco speciali modo h. e. non